



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ  
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

**Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz**

**Nevhsii, 1706**

**VD18 10502327**

Titulus VIII. De Canone Missæ usque ad Consecrationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

N. 11. *Cum dicitur Præfatio Diaconus & Subdiaconus stant retro post Celebrantem & paulo antequam dicitur Sanctus eo modo quo ad GLORIA IN EXGELSIS dictum est, simul accedunt ad altare, ubi cum Celebrante pariformiter inclinati & erecti, quod semper etiam omnes alii Ministri faciunt, hinc inde dicunt SANCTUS & que sequuntur usque ad CANONEM: & signante se Sacerdote etiam Diaconus se signat, quod Subdiaconus hic non facit, quoniam dextra patenam tenet: deinde uterque facta inclinatione discedit, Diaconus ad sinistram Celebrantis, Subdiaconus ad locum suum, absque novis ibidem inclinationibus. Si sub Præfatione folium vertendum, Diaconus facit ut dictum est Tit. 5. de ORATIONE.*

*Ibid. Nisi alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse loco Diaconi assistit à sinistris, Diaconus vero tunc stare ad dextram, aliquantulum post Celebrantem lateraliter, ita ut inter Diaconum & mensam altaris remaneat spatium circiter duorum pedum. Subdiaconus vero tunc stat post Celebrantem, in loco ordinario sive patenam teneat sive non.*

## TITULUS VIII.

### *De Canone Missæ usque ad Consecrationem.*

N. 8. **I***N Missa solemni ad finem Præfationis accenduntur duo saltem intorticia vel duæ candelæ in stipitibus aut alibi, pro ut in Conventibus commodè fieri poterit, & determinatum fuerit. Ab Acolythis, & post Calicis elevationem extinguuntur. Nisi aliqui sint communicandi & tunc extinguntur post communionem. In Missis solemnibus, pro defunctis tenentur, vel relinquuntur accensæ usque ad communionem. Intorticia autem vel candelæ de quibus hic agitur, sunt distinctæ à candelis, quas Versicularii in ingressu ad altare secum ex Sacristia deferunt, quæ sub Missæ officio nunquam extinguuntur.*

*Ibi. Cum autem Celebrans dicit QUAM OBLATIONEM, &c. Diaconus facta inclinatione in loco, unde recedit, accedit ad ejus dextram si adsit pixis*

pixis consecrandarum hostiarum, eam aperit & ibi in superiori altaris gradu genuflexus, cum Sacramentum elevatur fimbrias planet. & elevat. & quando opus, se erigens calicem discooperit, & cooperit: non discooperit Calicem, nisi prius Celebrans hostiam post elevationem adoraverit: unde post 2dam adorationem cum Celebrante surgit, & Calicem discooperit: pixidem autem si in ea fuerint hostiæ consecratæ cooperit: & mox iterum genuflectit. Post elevationem Calicis mox ut Celebrans eum deposuit ante secundam adorationem Diaconus surgit, Calicem cooperit, & cum Celebrante genuflectit. Ibid. Subdiaconus genuflectit in loco suo hoc est, inquit GAVANTUS, super infimum altaris gradum, id tamen universaliter intelligi non debet: ordinarie enim non in gradu, sed in plano aut ubi stat, genuflectit, si flectendum. Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ ter incensat hostiam: hoc est dum Celebrans adorat, elevat, & deponit, eodem modo incensat Calicem: reposito Calice postquam Diaconus cum Sacerdote adoravit, redit ad librum absque genuflexione ibidem; nisi alius assistat. Tunc Diaconus manet ad dexteram Celebrantis: ceteri surgunt, Thuriferarius redit in Sacristiam thuribulum depositurus, & statim rediturus, & stant in locis suis.

Nota hic, quod in sequentibus, Ministris accedentibus ad altare semper præscribatur genuflexio in locis suis seu unde recedunt, nunquam verò ad altare, & econtra ab altari recedentibus genuflexio præscribitur, semper ad altare, & nunquam in locis suis, dum ad ea pervenerint. Vide Rubricas.

## TITVLVS IX.

De Canone post Consecrationem usque ad  
Orationem Dominicam.

N. 4. **C**um Celebrans dicit PER QUEM HÆC OMNIA, &c. Diaconus facta Sacramento genuflexione accedit ad dextram Celebrantis absque